Naribus etenim, item & auribus Galenus *b* impoſuit: Vtero *a* item, quæ tamen proprie Peſſaria dicuntur: Ano *c* quoque, quibus glandis nomen nunc tribuitur: Fiſtulis *d* etiam: Vtitur ſimiliter Aetius *e* ad ſuffitus, ad tuſſim per infundibulum. Sed hîc de medicamento oculari ſermo eſt, quod proprie collyrium *a* dicitur. Dictum volunt παρὰ τὸ κολλᾶν τὸν ῥοῦν, quod comprimat fluxionem. Alii παρὰ τὸ κωλύειν.

b 3. *de comp. ſecundum loc.*
c *Aetius. Scribonius, Columella lib* 6. *c.* 6.
d *Aetius lib.* 14. *cap. de fiſtulis. Orib.* 10. *coll.* 23.
e *Lib.* 8.

Duplicia facimus *f*, arida & humida. Illa ξηροκολλύρια, hæc ὑγροκολλύρια dicuntur. Arida collyria, Sieff Barbaris, potiſſimum ex metallicis conſtant, ſeminibus, fructibus aromatis & alia ſicca materia, quæ humore aliquo, vel gummate colliguntur & condenſantur, quæ in æneum vas, cum ab ære meliora fiant, reponi debent, & vetuſtate *f* præſtantiora euadunt. Humida vero ex liquoribus, ſuccis, melle, animalium felle & aliis compluribus humidis, quibus protinus vti licet, cum vetuſtate euaneſcant. Hæcque priuatim collyria dicuntur, quæ rurſus duplicia, vel mollia, mellis conſiſtentia, πλαστὰ *f* aliquando vocata, quod affectæ parti delinantur; vel liquida.

f *Aegin. l.* 7. *c.* 8. *Triplicia, quædã ſimpliciter plaſta appellantur, quædam arida, quædam liquida, exiſtunt. Sic Aetius tet.* 2. *ſer.* 2. *c.* 97. *& ſeq. proponit illitiones, collyria arida & collyria liquida.*

Arida in pyramidis formam vel trochiſcorum rediguntur, quæ tempore vſus vel trita ac læuigata inſufflantur, aut palpebris ſubiiciuntur, vel in tenuiſſimum pollinem redacta, & conuenienti aliquo liquore diſſoluta, oculorum angulis guttæ aliquot inſtillantur, quorum ℨ j. in ℥ j. ß. vel ℥ ij. liquoris diſſoluitur. Horum materia vt & liquidorum, multiplex pro affectuum diuerſitate. Et licet varia apud Græcos *g* habeantur collyria,

g *Aegin, l.* 7. *c.* 8. *Actuar.* 6. *meth* 5. *Trallian. l.* 2. *toto. Oribaſ.* 3. *ſynopſeos. Aetius tetr.* 2. *ſer.* 3. *c.* 98.

ſuis